

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0958

0956

0962

0952

385

onus a se rejicit et hoc facto magno cursu aufugit et vix capi
se permittit. Magna cura haec bestia videtur custodire onera,
ne decidunt, cautissime enim pedes ponit, ne pedes laedat
et ne onera cadant, nam sub pede camelii est multa carnositas,
et in ejus fissura corium simile ei, quod est in pedibus anse-
rum, ideo caute ambulat; viam, per quam semel ambulavit,
semper scit sine duce, etiam si via sit operata pulvere vel
arena per ventum adjecta. Et hoc necessarium est per deser-
tum, in quo nullae viae manent propter arenarum motum.
Non tantum parantur hae bestiae ad onera vehenda, sed etiam
ad bella ducuntur, ad quae tamen foeminae vel camelae vali-
diores sunt quam camelii. Castrantur autem, quando duci habent
ad proelium. Et tantum de illo.

0967

0947

1007

0907

1057

0857

Camelarii.

0457

Camelarii vel dromedarii sunt magistri camelorum. Porro
nostri camelarii per desertum erant conducti per nostrum
Trutschelmannum de villulis Palaestinae in terminis Arabiae.
Erant autem rusticelli, nigri ut Arabes, Sarracenis et Arabibus
servientes, cum Arabibus confoederationem habentes, de ritu
maledicti Machometi. Non enim sustinuerunt Arabes incolae
deserti ductores vel camelarios puros Sarracenos; sed illos in
pace dimiserunt, quia eis confoederati et ritu, veste, moribus
eis conformes. Ea de causa asinarii nostri, qui erant Chri-
stiani orientales, per desertum euntes conformabant se ve-
stibus et moribus camelariis, ut ab Arabibus minus molestas-
rentur; isti camelarii et asinarii in nostro itinere continue litti-
gabant simul, non tamen se percutiebant, nobiscum vero pacem
habebant simulatam propter pecuniam, quam a nobis habere
sperabant.

Ende

Anfang

De his camelariis et asinariis in processu multa venient
dicenda, nunc ad alia procedamus. Sequitur de solitudine.